


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lv
11
186

Digitized by Google

Lv 11.186



Harvard College Library

THE GIFT OF


STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

29 July, 1895.

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUID

IN LIBRIS M. TERENTII VARRONIS

DE RE RUSTICA

AD LITTERAS ATTINEAT

Digitized by Google

Digitized by Google



QUID

IN LIBRIS M. TERENTII VARRONIS

DE RE RUSTICA

AD LITTERAS ATTINEAT

DISSERTATIO ACADEMICA

Arnould Frémy


LUTETIÆ PARISIORUM

E TYPYS H. FOURNIER, VIA SANCTI BENEDICTI, 7

M DCCC XLIII

Digitized by Google

Lw11.186



Salisbury fund.

Digitized by Google

I.

Quis est adeo illiteratus, ut de M. Terentio Varrone, eruditissimo Romanorum, quem Cicero dixit πολυγραφώτατον, habuit familiarem, et induxit inter collocutores Academicorum, non aliquid audierit? Ad palmam universæ doctrinæ ei conferendam veteres plerique scriptores consensere. Quorum unus, et is quidem summæ auctoritatis : « Quam multa, imo pæne omnia tradidit Varro? » ait Quintilianus [1]. Ad profanorum testimonium accedit Augustinus, qui de Varrone : « Vir doctis-

1. *Instit*. XII, 2.

Digitized by Google

simus undecumque, qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur; tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus[1]. »

Tot suffragiis apud veteres consecrata, doctrina Varronis usque in ætatem nostram non admodum integra evasit. Vir quidem eruditissimus, verum, ut Germanis mos est, ad conjectandum imperterritus, Niehbur historicus, in proœmio Historiæ Romanæ, adfirmat omissa Varronis scripta non adeo esse desideranda: nempe sermonem etruscum, vel etiam oscum, nesciebat Varro[2]. Quidquid sit de tali disputatione, et quamvis aut parum aut nihil omnino osci fuisse apud Varronem inter Germanos constet, tamen de aliquo ejusdem opere aliquid dicere tentemus.

Tam multa confecit opera Varro ut ipse de se dicere potuerit: « Se jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum, hoc est libros 490 conscripsisse[3]. » Cum Varrone colloquens Cicero: « Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam; tu sedem regionum, locorum; tu omnium divinarum huma-

1. De Civit. Dei, VI, 2.
2. Vid. vers. gall., vol. I, p. 16.
3. Gell. III, 10.

Digitized by Google

narumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti[1]. » Maxima pars tam multarum opum interiit, ut pauca præter fragmenta, duo Varronis opera tantummodo supersint; nimirum libri de Re Rustica, et quæ restant librorum de Lingua Latina. Sed quid ex iis fragmentis de ingenio viri conjicere licet, quæ adeo trunca et tot lacunis hiantia habemus, ut unus ex annotatoribus adfirmet: « Natalitium sidus grave fuisse his libris[2]. » Melius egit fortuna cum libris de Re Rustica qui ita non integri ad nos pervenere, ut, non Varronem quidem, sed Varronis præbeant conspectum aliquem, et peculiare scribendi genus nobis approbent.

Cum autem tot et tam eruditi viri incubuerint his de Re Rustica libris, non tantum Romanorum agriculturæ, sed et moribus, institutis et domesticæ disciplinæ facem admoventibus, fatemur nos non sine quadam admiratione inter hanc commentariorum varietatem incassum quæsivisse vel minimam sententiam de Varronis ingenio, aut de propria ejus circa stylum ratione. Omnes de agrario, nulli vero de litterato Varrone dixerunt; et probabimus, nisi spes fallit, in libros de Re Rustica litteras sæpius irrepsisse.

Quæstio igitur illa levissima forsan, sed non

1. *Academ.* II, lib. 1, 3.
2. E præfat. C. O. Muelleri, M. T. Varr. de L. L. quæ supers.

Digitized by Google

plane otiosa, nobis concedatur: *Quid in libris de Re Rustica ad litteras attineat?* In hunc varronianæ villæ angulum confugiamus, et post vendemiam eruditorum locupletem et dudum confectam, hic, ut dicamus cum ipso Varrone, *racemari* tentemus.

II.

Sed priusquam de opere sermonem instituamus, pauca de viro ipso dicenda sunt, ut inde eluceat opus; pauca profecto, nam nihil admodum certi de vita Varronis compertum est. Licet tamen affirmare plerosque scriptores in errorem fuisse inductos, qui Varronem Romæ natum nulla prorsus auctoritate freti dixerint. Nec assequi conjectura licet, unde talis sententia apud eos vigere potuerit, siquidem nullus nec Ciceronis, nec ipsius Varronis, nec cujuslibet alius veteris locus Romanum auctorem hunc nostrum declarat. Reatinum vero eumdem, et a P. Terentio Varrone, poeta, Atacino, eo cognomine distinctum, Sidonius Apollinaris et Symmachus tradunt. Symmachus nimirum: « Scis Terentium non Comicum, sed Reatinum illum, Romanæ eruditionis parentem[1]. » Et

1. Epist. I.

Digitized by Google

Sidonius Apollinaris Varronem utrumque vel Atacinum vel Reatinum approbat[1]. Inde igitur Romanum nequaquam civem, at potius Reatinum Varronem habendum esse censemus. Hunc natum cum I. A. Fabricio anno U. C. LCXXXVIII^{mo}, ponamus. Plurimos a republica honores videtur accepisse, qui autem talia adhibent conjectura nituntur. Bellum tamen Varro gessit contra piratas, et Pompeii classibus præfuit « inter Delum et Siciliam[2] », ut ipse testatur. In bello civili, Pompeianas partes amplexus, legatus in Hispania cum L. Afranio et M. Petreio summam rei militaris habuit. Cum vero sese Cæsaris viribus imparem sensisset, abjecit arma, et Cæsaris victoris in gratiam receptus, ad otium litteratum perfugit, totus in philosophia, eruditione, et comparandis ac dirigendis bibliothecis græcis latinisque, quas Cæsar publicavit[3].

Tot curis et negotiis occupatus, nequaquam tamen ab agriculturæ studio cessabat; itaque, extremo vitæ tempore, libros de Re Rustica in lucem edere instituit. In operis limine annos octoginta natum se declarat : « Annus octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar e vita[4]. » Quæ vero huic tam longo vitæ et labo-

1. Epist. IV, 32.
2. In præfat. lib. II de R. R.
3. Sueton. *in Cæs.*, 44.
4. Varr. de R. R., I, 1.

Digitized by Google

rum spatio meta melior optari possit, quam illud umbratile opus quod in ultimam ætatem Varro distulisse videtur, ad studiorum varietatem et senectutis levamentum? At ne nos longius rapiat talis collationis voluptas, et a principio agitetur hæc quæstio, utrum auctor voluerit illud opus ad lectoris delectationem conficere, Virgilii more in Georgicis, an eloquii arte omnino abjecta, nihil aliud agere quam agriculturæ præcepta ordinare et explicare, M. Porcii Catonis vestigiis tantum insistens?

Ad hanc quæstionem solvendam, e qua prima pars hujus dissertationis pendet, necesse est nos ad libros Varronis convertamus. Hoc igitur liceat nobis, breviter quidem et arcte, ut res tamen postulat, exponere.

III.

Dedicat Varro libros prooemiando uxori Fundaniæ, quippe vitæ suæ terminum præsentit; dicit non sine senili quadam orationis venustate: « Si est homo bulla, eo magis senex. » Sperat fundum, quem emit Fundania, fructuosum fore, si his de Re Rustica præceptis uti velit. Diis urbanis ad venerationem advocatis, tabulam instruit Græcorum

Digitized by Google

et aliorum qui de Re Rustica scripsere; proprii deinceps operis præcipuas divisiones instituit: in primo libro ipsam agriculturam, in secundo rem pecuariam, in tertio villaticas pastiones amplexurus.

Hinc autem incipit connecti dialogus, et jam nunc animadvertamus hanc dialogi formam, quam ad libros de Re Rustica Varro adhibuit. Hæc enim est hujus nostræ dissertationis summa; huic potissimum instemus oportet.

Ipse inter collocutores Varro dicit sementivis feriis [1], se in ædem telluris venisse ab æditUO rogatum. Offendit ibi C. Fundanium ipsius socerum et C. Agrium equitem R. Socraticum, et P. Agrasium publicanum, quibus variæ colloquii partes tuendæ erunt. Dum hi tres collocutores pictam in pariete Italiam otiosi spectant, inde sermo incidit de fertilitate et cultura Italiæ, et gradatim in dissertationem de Re Rustica colloquium labitur. Jam vero in hoc secundo capite quædam notanda sunt, per quæ de Varronis oratione aliquid præsentire licet. « Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur? » ait unus e collocutoribus. Poeticam hanc sententiam, hujus pomarii jucunditatem in Catonis de Re Rustica libris incassum quæsiveris.

1. Ad has ferias vid. I. Gott. Schneideri Comment. in Varr. de R. R. lib. Lipsiæ, 1794, in-8°.

Digitized by Google

Inde alii superveniunt, C. Licilius Stolo et Cn. Tremellius Scrofa, uterque romanæ agriculturæ peritissimus. Neque vero omittendum genus illud cognominum quæ deprompta e fonte analogiæ nimium pellucidæ et vere rusticanæ nobis videntur. Ne quis autem censeat hic pro antiquo more personis servata fuisse pecuaria quædam nomina, quæ Romani olim liberis imponebant[1]. Mox eadem a Varrone, in colloquii amœnitatem et sententiarum quarumdam festivitatem, ficta fuisse patebit.

Quæ sint agriculturæ principia et variæ partes, per sermonum vices inter collocutores exponitur. Plerumque Stolo et Scrofa primas partes defendunt; expediunt alternis sententiis quidquid ad solum fundi, agri qualitatem et speciem vitis spectet. Inde agitur de ponenda et ædificanda villa, et obiter carpit Varro villas nimium sumptuosas « quæ cum Metelli ac Luculli villis pessimo publico ædificatis certant[2]. » His et aliis in locis artium illecebrarum et immodici sumptus exagitatorem se Varro declarat. Quam quidem obtrectationem notemus quæ in viro ingenita videtur, et nobis opus illud indagantibus quasi facem præferre poterit.

1. Ἐτίθεντο καὶ παισὶν αὐτῶν, συΐλλους, καὶ βουβούλκους, καὶ καπραρίους, ὀνόματα, καὶ πορκίους, κάπρας μὲν, τὰς αἶγας, πόρκους, τοὺς χοίρους ὀνομάζοντες. (Plutarch., *Vita Publicol.*, XIII.)

2. M. T. Varro, de R. R., I, 13.

Digitized by Google

Gradatim sermo transit in alias Rei Rusticæ partes, nimirum familiam rusticalem, agraria instrumenta, boves eligendos, varias anni tempestates, solstitium, caniculam, seminum genera, fructus, messem, vendemiam faciendam, uvas, mala et sorbos pensiles. Varia hæc præcepta in modum plane didascalicum adhibentur, nec tamen talis exponendi ratio vetat, quin collocutores quædam faceta inter se admittant. De vinea dum disputant, ab uno, qui tam multas sermonis ambages nescit pati, dissertatio subito abrumpitur : « Agrius Fundanio, vereor, inquit, ne ante æditυus veniat huc, quam hinc ad quartum actum accedamus, vendemiam enim exspecto. — Bono animo es, inquit Scrofa : fiscinas expediet ac urnam[1]. » Aut alibi quum de frugibus dicunt : « Agrius, jam dudum, inquit, in villa sedens expecto cum clavi te, Stolo, dum fructus in villam referas. Ille : « En adsum. Venio, inquit, ad limen, fores aperi[2]. » In plurimas sermonum partes facetiæ sic inducuntur, non admodum exquisitæ, at quas ideo tantum referimus ut Varronis jocandi ratio quæ sit innotescat.

Occurrunt etiam rusticas inter definitiones inexspectata quædam et simplicitate gratissima, quæ natura ipsa, eximia sermonis altrix, in libros de Re Rustica videtur infudisse. Optimum herum ac

1. Varro, de R. R., I, 26.
2. *Ibid.*, I, 56.

Digitized by Google

simul ingenuum pictorem se præstat Varro, quum rusticalem familiam tractans, quam aspèritate speciosa *vocale instrumentum* dicit, curam ejus adeo sollicite suscipit, ut talia præcipiat. « Familia ubi versetur providendum, si fessi opere, aut frigore, aut calore, et ubi commodissime possint se quiete reciperare [1]. » Pari affectus sollicitudine agit de cura circa boves aratorios adhibenda : « Ut viribus magnis sint pares, ne in opere firmior imbecilliorem conficiat [2]. » Et in eodem capite de novellis juvencis : « Ita subigendum, ut minutatim assuefaciant, et ut tironem cum veterano adjungant [3]. » Tales sententiæ velut incultæ et humiles Varronis præcepta ita distinguunt, ut sæpius incertum sit, scriptoris ex ingenio, an, ut ita dicam, ex ipsius propositi visceribus effluxerint.

Primi hujus libri repentina fit et abrupta conclusio : æditui, quem omnes exspectant, libertus subito in colloquium intercidit; et, interrogantibus eum de hero collocutoribus : « Ille flens narrat ab nescio quo percussum cultello concidisse, quem qui esset animadvertere in turba non potuisse, sed tantummodo exaudisse vocem, perperam fecisse [4]. » Ad hunc casum qui more fulminis in

1. Varro, de R. R., I, 26.
2. *Ibid.*, I, 20.
3. *Ibid.*, I, 20.
4. *Ibid.*, I, 69.

Digitized by Google

rusticos sermones irrumpit, hæc sola subjicit Varro : « Descendimus de æde, et de casu humano magis querentes, quam admirantes id Romæ factum, discedimus omnes. » Hoc discessu ènodatur dialogus, ac simul primus liber, qui pro scriptoris professione omnia, quæ ad terræ culturam spectant, tractavit.

Quænam vero est deformis ista et importuna colloquii conclusio? Quid vult ad Rem Rusticam ille libertus, ille æditüus, qui non ob aliud apparet, quam ut percussus cultello concidat? Infra hæc erunt agitanda, quæ hic satis est obiter notasse; at nunc pergamus.

IV.

Liber secundus agit de re pecuaria, et, ut primus præfationem habet, in qua celebrantur veteres Romani qui vitam rusticam degebant. « Nunc, aït Varro, intra murum fere patres familiæ correpserunt relictis falce et aratro, et manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus ac vinetis[1]. » Hic etiam animadvertendum est ut Varro morum antiquorum studiosum ubique se

1. Varro, de R. R., II, 1.

Digitized by Google

ostendat. Secundum de Re Rustica librum dedicat cuidam Nigro Turrano « qui vehementer delectatur pecore, » et in eodem libro Varro ipse fatetur se pecuarias habuisse grandes in Apulia oviarias, et in Reatino equarias. Inde, in hunc modum novi colloquii scena instruitur. « De re pecuaria breviter ac summatim percurram, ex sermonibus nostris collatis cum iis, qui pecuarias habuerunt in Epeiro magnas, tum cum piratico bello inter Delum et Siciliam Græciæ classibus præessem [1]. »

Caput primum secundi libri adeo abrupte ingreditur, ut facile quivis intelligat veteres commentatores, Victorium, Ursinum et Scaligerum in alicujus lacunæ suspicionem inductos fuisse. Hoc autem est exordium : « Cum Menas discessisset, Cossinius mihi, nos te dimittemus, inquit, antequam tria illa explicaris, etc. [2] » Ad quid spectat discessus istius Menatis, quem intrare nondum vidimus ? Quinam sunt et Menas, et Cossinius, et Murrus, et Petra, quos Varro in scenam tum primum inducit, omni omissa procemii vel transitionis cura ? Lacunæ vero (etiamsi verisimilis) opinionem abjiciendam censemus, ut qui novissimo et eodem eximio Varronis editore Schneidero freti hoc opusculum exaremus. Itaque in absolutum nec disputabilem textum consensisse nos nemini non pro-

1. Varro, de R. R., II, 1.
2. *Ibid.*, II, præf.

Digitized by Google

babile videbitur. Schneider igitur adfirmat : « Ad ipsius argumenti tractationem nihil desiderari posse a lectore [1]. » Idem adjicit : « Scenam nondum ita esse apparatam a Varrone, ut personas singulas nosceremus, causamque quæ eas collegerat in unum locum. »

Hæc Schneidero concedamus, fateamur tamen hanc ejus nimis acerbam et paululum *scioppianam* fuisse assertionem dicentis *ineptam* esse Gesneri defensionem, qui Varronem putaverit hac abrupta sua actione in id intendisse, ut poetarum epicorum morem referret [2]. Ne Schneider plane ineptum dicat Gesnerum qui non habuerit aliunde justam Varronis colloquii excusationem. Fortuitum igitur, si non epicum, necesse est declaret abitum hujus actoris, qui nondum intravit, et jam abiit.

Nihilominus, et lacunæ opinione rejecta, quippe in hoc Gesner et Schneider consentiunt, animadvertamus hanc varroniani colloquii peculiarem formam, quæ nullius intercessu numinis vel rusticani, nulla alia lege quam *phantasiæ* arbitrio actores inducit aut dimittit.

Habetur colloquium de origine ac dignitate rei pecuariæ; Varro partem suscipit historicam, sed ea conditione ut collocutores novi, « epirotici pastores, » ut eos appellat, in Epirum enim scena trans-

1. Io. G. Schneider. comment. in Varr., II, 1. (Cum Men. discess.)
2. Script. R. R. curante Io. M. Gesn. in-4°. Lipsiæ, p. 235.

Digitized by Google

fertur, de re ipsa pecuaria sermonem habere velint. Enarrat igitur, ut e rustica aut silvestri vita ad pastoralem gradatim homines devenerint. Hic doctrinæ copiam expandit antiquariæ, historicæ, vel etiam etymologicæ, et hujus non ita opportunæ, nostra sententia, ut pluribus in locis, et hic præcipue animadvertendum est. Etenim ovium genealogiam instruens, veterem Latinorum vocem *bela* ad μῆλα refert, primam tantum mutando litteram, « non enim *me* sed *bee* sonare videntur oves[1]. » Fatemur hoc eruditionis specimen nobis paulisper Patelinum causidicum, et callidum pastoris balatum in memoriam revocasse.

Post hanc digressionem, ad Scrofam et Epirotas Varro sermonem transmittit. Hi quidquid ad rem pecuariam, stabula, pastiones, varia animalium genera spectat colloquendo evolvunt. Quam boum et juvencorum in primo libro curam habuit, eamdem agnorum ostendit Varro. Quam jucunde mentem afficit, quum inter gravitatem præceptorum agnos suscipit et fert in stabula, prope ad ignem ponit, et diligentissime fovet, dum grex ad pastum prodeat, « ne noctu a matribus conculcentur[2]. » Quid tenerius et naturæ magis consentaneum, quam hæc alia præcepta : « Cum depulsi sunt agni a matribus, diligentia adhibenda est, ne desiderio

1. Varro, de R. R., II, 1.
2. *Ibid.*, II, 2

Digitized by Google

senescant, itaque deliniendum in nutricatu pabuli bonitate : et a frigore et æstu ne quid laborent, curandum. » Delicatam et vere antiquam simplicatem!

Verum post hæc et talia, nequaquam est probanda jocosa hæc allusio per quam unus e collocutoribus de agnis ad capellas sermonem transfert : « Satis balasti, o Faustule noster; accipe a me cum Homerico Melanthio Cordo de capellis, et quemadmodum oporteat breviter dicere disce, etc. [1] » Friget iste balatus, postquam in superiore pagina agnos ipsos balantes et trementes ante focum stabuli conspeximus. Ut in agrariam, sic in pecuariam dissertationem plurimi sales hujusmodi infunduntur. Itaque nec Scrophæ hoc contingit, ne quid suillo pecori in ipsius cognomen alludatur. Quidam est Vaccius inter collocutores, cui primæ partes sermonis in hunc modum tribuuntur : « Vide quid agas, Vacci. Nam bos in pecuaria maxima debet esse auctoritate [2]. »

Ex his paucis jam perspicere licet aliquam partem, quæ dici possit scenica, in libris de Re Rustica inesse, et Varronem non adeo susceptum opus ad Fundaniæ utilitatem ex proposito intendisse, ut non plurima tribuerit personis, quas colloquentes,

1. Varro, de R. R., II, 2.
2. *Ibid.*, II, 2.

Digitized by Google

agentes, et pro sua quamque ingenii facultate jocantes induxit.

Conclusio secundi libri tamquam primi habetur per inexspectatum cujusdam libertini interventum. Vitellius, unus e collocutoribus, habet libertum, qui, in Urbem veniens, divertit ad conventum. « Et ego ad te missus, inquit, ibam rogatum, ne diem festum faceres breviorem et mature venires[1]. » Quæ postquam audierunt personæ, confestim discedunt, nullam inter sese vel speciosam discessus causam adhibentes, et lector, tanquam in fine primi libri, manet deceptus, inhians, nec potest abruptam illam agendi et pene magicam rationem non cum ægri somniis conferre. Nimium enim patet claudendum fuisse sermonem, et dimittendos actores non aliam ob causam, quam quod Varro rem pecuariam exhausisset.

V.

Tertius liber villaticas pastiones tractat, et, ut cæteri, initium sumit a digressione, in qua vitæ rusticæ primordia iterum exponuntur, et cui historica et etymologica nequaquam deest eruditio.

1. Varro, de R. R., II, 11.

Digitized by Google

Hunc ultimum librum Varro dedicat Q. Plinno, uni e familiaribus, recordatus sermones quos de villa perfecta cum eo habuit. Sed antequam villaticæ pastiones exponantur, oportet novi colloquii instruatur scena, inducantur actores, quippe in actionem scenicam etiam hæc nova præcepta informantur.

Itaque in campo Martio Varro posuit colloquium. Secundum caput in hunc modum ingreditur : « Comitiis ædiliciis, cum sole caldo ego et Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus, et candidato, cui studebamus, vellemus esse præsto, cum domum rediret : Axius mihi, dum diriментur, inquit, suffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra, quam privati candidati tabella dimidiata ædificemus nobis?[1] » Ubi in villam ventum est, obviam eis occurrunt Cornelius Merula, Fircellius Pavo, Minutius Pica, et Petronius Passer, tertii libri futuri collocutores, et quorum cognomina nunc rem ad aves fuisse translatam satis indicant. Agitur in hoc libro de variis volucrum generibus quæ in villa ali vel pasci possunt, de turdis, pavonibus, columbis, leporibus, anseribus, etc. In moribus cujusque generis describendis, ostendit Varro eamdem hanc sermonis simplicitatem naturæ convenientem, quam supra jam notavimus.

1. Varro, de R. R., III, 2.

Digitized by Google

Aves severo quodam affectu diligit, ut boves et agnos, nec eis minorem curam impendit, quum in adumbrandi ornithonis specie imperat : « Fenestras raras, per quas non videantur extrinsecus arbores aut aves; quod earum aspectus et desiderium macrescere facit volucres inclusas. »

Ornithonis hæc descriptio, cui Varro tam accurate incubuit, sæpius nec immerito est relata; hoc enim ædificium plane romanum perfecte magis adumbrari non poterat. Quam autem suavis et, si liceat dicere, vere *Hyblæus* fit Varronis sermo, de apibus dicentis, de moribus et studiis harum, ut ait, volucrum, quibus plurimum natura ingenii atque artis tribuit : « Si pabulum naturale non est, ea oportet dominum serere, quæ maxime sequuntur apes, ea sunt rosa, serpyllum, apiastrum, papaver, ferba, lens, pisum, ocimum, cyperum, medica, et maxime citysum, quod minus valentibus utilissimum est[1]. » Nec minorem habet venustatem, seu aquam liquidam fundat, unde bibant apes : « in qua aqua jaceant testæ aut lapilli, ita ut exstent paulum, ubi assidere et bibere possint[2], » seu examen in coloniam emittat : « ut olim crebro Sabini factitaverant, propter multitudinem liberorum. »

Unus eruditissimorum nostræ ætatis virorum,

1. Varro, de R. R., III, 4.
2. *Ibid.*, III, 16.

Digitized by Google

in eximio opere, in quo Varronis omnem doctrinam exposuit, illud caput de moribus apum tantis effert laudibus ut cum quarto Georgicorum libro illud conferre non dubitet[1]. Amplissimam certe laudem et nimiam fortasse, de qua tamen nil imminuere velimus, si nusquam impar locis de ornithone et apibus oratio Varronis fuisset.

Liber de villaticis pastionibus hanc servat dialogi formam, quam in superioribus libris jam usurpatam vidimus. Nec est necesse referre omnia facete dicta inter actores de *Pavone*, *Merula* aut *Passere*, quippe nihil inter ea differt et jocos istos quos jam Scrofa aut Vaccius protulit. Postquam de avibus et piscibus dissertatio finem cepit, tertii libri, pro Varronis scenica ratione, curriculum subito clauditur novo quodam casu nec minus inexspectato, quam ista irruptio libertinorum quos jam novimus.

Et ibi unus ex actoribus Axius colloquitur, piscinam struit in quam, refrigerandi causa, Neptunum Baïanum induxit, quum ei Varro et piscinam et vocem tali sententia repente intercludit : « Stre-

1. « Il est étonnant qu'un aussi bon observateur que Varron ait adopté les fables qui avaient cours de son temps sur la génération des *oiseaux des muses*, car c'est ainsi qu'il nomme les abeilles : j'engage les amateurs de la langue latine à lire dans l'original le chapitre tout entier, qui est écrit par un vieillard octogénaire avec beaucoup de grâce et d'élégance, etc. » (Dureau de La Malle, *Economie politique des Romains*, t. II, p. 208.)

Digitized by Google

pitus a dextra, et cum lata candidatus noster designatus ædilis se in villam. Cui nos occidimus, et gratulati in Capitolium prosequimur. Ille inde eundo suam domum, nos nostram: O Pinni noster, sermonem de pastione villatica summatim hunc, quem exposui habeto. »

Hac victoria candidati, cui actores colloquii favent, Varronis tertius liber terminatur.

Et nos finem imponamus huic expositioni nobis quidem breviori, cæteris vero longiori forsitan. At illi materia quid ferat considerare velint. Et nunc, quoniam, nisi spe fallimur, quisque fingere sibi potest, quæ sint Varronis colloquia, quis personarum habitus, et quo pacto inter se philosophentur et jocentur, etiamsi propositum plane rusticum habeant, jam dissertationem aggrediamur.

VI.

Quis vero inficietur post hanc summam de Re Rustica librorum expositionem, eorum esse partem aliquam quæ vere *litterata* dici possit? Scilicet animadvertimus Varronis orationem, nunc scenicam, nunc satyricam, nunc etiam agricolationi « factæ potenti carmine Virgilii » ut ait Columella, accommodatam.

Digitized by Google

Quinimo, hæc dialogi forma, quam sibi Varro adoptavit, ad litteras ipsa nonne omnis pertinet? Quæ quidem per se satis aperte declarat non tantum Tellurem, Cererem, aut Floram, rustica numina, sed etiam Calliopem et Thaliam a Varrone advocatas fuisse. Quod si cui dubium sit, respiciat tantum libros veteris Catonis. Quam inornatus et vere rusticus ille est, et a musis omnino abhorrens! Catonis tale est dicendi initium: « Prædium quum parare cogitabis, sic in animo habeto, uti ne cupide emas, neve opera tua parcas vivere, et ne satis habeas semel circumire[1]. » Ubi nunc Varronis illæ præfationes tam accurate omnibus historiæ, mythologiæ vel etiam etymologiæ ornamentis distinctæ? Ubi colloquii ambages, jocularia dicta, rustici actores, Stolo, Scrofa, Vaccius, et illæ feriæ pastorales, sementivæ aut paliles, circa quas ludit Varronis illa disceptandi festivitas? Nil tale apud Catonem reperies, qui pro ingenio peculiari et ætatis asperitate, solummodo præcipit et docet. Hoc voluit Varro et aliud insuper; quod quidem et vincere aggrediemur, et victuros nos confidimus.

Verum ante omnia dicendum est aliquid de hac dialogi forma, e qua constat quidquid in Varronis opere ad nostram hanc disputationem pertinet.

1. M. P. Cato, de R. R., I. 1.

Digitized by Google

Antiqui dialogi campum, ut ita dicamus, uno aspectu comprehendenti, duæ præcipuæ apparent divisiones, quibus omnis philosophia, dialectica aut eloquentia continetur. Prima nimirum academica aut omnino *Platonica* dici debet, quæ divina eloquendi et philosophandi facultate, aut etiam *Delphico numine*, ut ait Cicero, ad mentem humanam terrenis a regionibus avocandam videtur instructa: omnino varia, multiplex, incessu nunc humilis, nunc sinuosa, nunc sublimis, de cunctis rebus dubitans, nil affirmans, nil constituens. At ipse Varro, ut usurpemus ea quæ Tullius de Socrate aut Platone dicit: « Ita disputat ut nihil affirmet ipse, refellat alios; nihil se scire dicat, nisi id ipsum; eoque præstare cæteris quod illi, quæ nesciant, scire se putent; ipse, se nihil scire, id unum sciat; ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum [1]. »

Quid autem ad laudem horum sermonum subjici possit, Hippiæ scilicet, Protagoræ, Gorgiæ et Euthydemi, qui infixi sunt in omnium mente, et in quibus interdum platonicæ illi altitudini veneres Aristophanis admiscentur? Cui non obversatur animo vis illa argumentandi, cui non jocandi elegantia, propriaque Socratis et singularis *ironia*, quibus legentem divini vere isti collocutores gradatim ad cœlum evehunt?

1. *Academic.* II, lib. 1, 4.

Digitized by Google

Concedatur nobis ad hoc præfiniendum colloquii genus una vox exilis quidem, si respicias ad Platonis ingenium, hic vero sufficiens, quoniam tantum de forma dialogi agitur: hæc prior igitur dicatur *scenica*.

Altera dialogi ratio, cui, ut facile concipitur, nonnulla cum priore convenuint, non eamdem tamen speciem habet. Illa sermonis forma nullo modo est figurata, sed plana, simplex, mentis divinationi nulla aut pauca tribuit. Scilicet in philosophicis Xenophontis libris Socrates colloquitur; sed non est ille vir ingenuus, humilis vel etiam stolidus, quem fingit Plato : Socrates ille Xenophontis dissertationem et præcepta ultro amplectitur, magistri partes suscipit, nec dubitat loqui de semetipso aut de numine familiari, ut pauca hæc demonstrant excerpta ab his libris, quibus tam inepte *memorabilia* inscriptum est. Σωκράτης δὲ ὥσπερ ἐγίγνωσκεν, οὕτως ἔλεγε· τὸ δαιμόνιον γὰρ ἔφη σημαίνειν. Καὶ πολλοῖς τῶν ξυνόντων προηγόρευε τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ μὴ ποιεῖν, ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος [1].

Inde est igitur alterum hoc dialogi genus, quod a platonico sermone hoc differt, quod orationis modum servare potius, quam volitare et mentem huc et illuc trahere laborat. Hanc formam in Xe-

1. Xenoph. *Memorab.* I, 1.

Digitized by Google

nophontis libris eximie expressam reperimus, sed splendidior etiam et planior in philosophicis Tullii sermonibus apparet. Quam enim admirabili eloquendi ratione aut styli familiaris abundantia Tullius viros antiquæ Romæ convocat, Scœvolam, Catonem, Scipionem, Lælium, Hortensium et nostrum hunc Varronem! at non idcirco conveniunt hi viri, ut inter se dialectice dimicent, sed præcipue ut aliquam philosophiæ partem vicissim tueantur et exponant.

Unde fit ut unusquisque collocutor academicus, stoicus, peripateticus aut epicureus dici possit. Itaque, si, veluti priori, sua et illi dialogi formæ appellatio concedatur, *oratoriam* eam dicamus.

Ad utram autem dialogi formam, scenicam an oratoriam, sermones Varronis referendi sunt? Platone an Cicero eos sibi vindicare debet? Hoc erat considerandum.

VII.

Quod si ad procemia cujusque capitis omnem sententiam referamus, scenicum et ad arbitrium *phantasiæ* plane accommodatum Varronis opus habeatur. Libros enim exponendo animadvertimus quo pacto nodus colloquii abrupte necteretur;

Digitized by Google

collocutorum vidimus hunc dicentem aut silentem, illum intrantem aut exeuntem, nullo scriptoris ministerio, scenam demum inopinatis eventibus absolutam demirati sumus.

Scenicus igitur est Varro? — Haud ita omnino. Quippe in hac colloquii fugitiva mobilitate non diu personas constituit. Ubi libri alicujus aut capitis initium dicendi exactum est, in omnia res rustica confestim invadit, nec colloquuntur inter sese actores pro persona, pro scena, sed tantummodo pro Re Rustica. Unus dicit et alter respondet prout de seminibus, pecudibus, leporariis, piscinis aut ornithonibus, agitur. Qui vero scenicus usque ad inconstantiam erat sermo, jam fit usque ad ariditatem didascalicus, et pro illo Varrone fere Platonico, quem primordia librorum promiserant, adest nihil amplius quam gravis et locuples agricola, Apuleius et Reatinus, maritus Fundaniæ, non ad aliam rem quam ad fundum conjugalem *fructuosum faciendum* intentus [1].

Istæ igitur partes, ut agnoscimus, prorsus diversæ inter se et forsitan dissociabiles in libris de Re Rustica luctantur. Et ex eo quasi ingenito vitio, totum opus aliquid incerti et male inchoati contraxit. Neque hoc duplicis materiæ vitium plane vincere potuit Varronis ingenium, nec doctrinæ

1. Varro, de R. R., I, 1,

Digitized by Google

copia, nec illa sermonis agrestis venustas, cujus plurima exempla unusquisque liber nobis suffecit.

Inde autem facilius separabimus, in Varronis opere, ea quæ ad rem rusticam spectant, et ea quæ, si dici potest, *ad rem litterariam* attinent. Nec tamen interea non fatebimur nimis rusticanum et quibusdam eximiis locis non ita aptum Varronis ingenium deficere, quum ad litteras se convertit.

Itaque inopinatos istos collocutorum adventus, cognomina scurrilia scriptoris gravitati parum consentanea jam reprehendimus. Et quis ad colloquium Scrofæ, Merulæ aut Vacci ultro accedat, quum ad hanc majestatem et elegantiam sermonum inter Catonem, Scipionem et Lælium a Cicerone invitetur? Aliquid in quodam libro Ciceronis perjucundo dicit Cato de voluptatibus agricolarum, « quibus incrediibiliter delectatur, » sed non ut Varronis collocutor insulse *balat.* Quam suavis fit illius sermo, quum dicit de terra : « Quæ nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod semel accepit [1]. » Nec Cicero de ficto cognomine cujusdam personæ transitum aut conclusionem deducit, sed de Catonis ipsius ætate et indole : « Ea ipsa quæ dixi fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem : nam et studio rerum rusticarum provectus sum, et senectus est natura loquacior [2]. »

1. Cicer., *de Senect.*, XV.
2. *Ibid.*, XVI.

Digitized by Google

Ea est pura venustas, et eximia figura antiqui colloquii.

Jam vero quid fiet de Varronis sermonibus, si eos cum platonicis conferamus? Nescimus quo pacto primi libri de Re Rustica initium nos ad Gorgiam ineuntem retulerit. Sementivis feriis, Varronis actores convenere, quia de seminibus agitur: et apud Platonem de festo aliquid dicitur; quod autem festum? Non sementivum prorsus aut pastorale, cui nimium aperte alludatur. Multa videlicet et præclara quæ paulo ante Gorgias exposuit[1], hæc festum significant. Hac una re inexspectata jam in aliam regionem colloquii et sententiarum Plato nos evexit.

Æditui etiam istius meminerimus, quem Varro in primum librum induxit, non ob aliam rem quam ut trucidaretur, quippe claudendus erat agrarius sermo. In Protogaram Plato inducit non æditum, sed janitorem; collocutor autem ille congruit omnino cum materia. Fungitur munere, ut ita dicam, magis herili Platonis janitor, quam Varronis æditus. Quid lepidius quam illa janitoris obluctatio, qui amovet Socratem et familiares vestibulum obsidentes, ut Protagoram, Hippiam et Prodicum audiant; negat ingressum janitor, quia sophistas eos esse existimat[2].

1. Plat. Gorgias edit. im. Bekk. vol. I, part. II, p. 1.

2. Ἐπειδὴ δὲ ἐν τῷ προθύρῳ ἐγενόμεθα, ἐπιστάντες περί τινος λόγου

Digitized by Google

Talia suppeditat dialogi forma, hos sales exquisitos naturæ consentaneos, quum ex ipsa defluunt et pro materiæ ratione scena, personæ et colloquii vices. Aliud autem est de incertis sermonibus actoribusque supervacuis quos scriptoris propositum non admodum postulabat; verum hæc infra.

Qualibet autem ex parte libros de Re Rustica cum his pœne divinis Platonis sermonibus conferamus, plurima necessario desiderantur.

In tertio libro, jam vidimus Varronem et sodalem, comitiis ædilitiis, dum dirimantur suffragia, potius villæ publicæ uti umbra, quam privati candidati tabella dimidiata [1]. In hac villa conveniunt eos Cornelius Merula, Fiscellius, Pavo Reatinus, Minutius Pica et M. Petronius Passer, et, ut ait unus e collocutoribus jocandi occasionem arripiens, in hoc ornithone (quia ibi sedent aves) sermo de villaticis pastionibus orditur.

Libuerit ab ipso Varrone quærere, quam ob causam ad hujus libri scenam et sermones villati-

διελεγόμεθα, ὃς ἡμῖν κατὰ τὴν ὁδὸν ἐνέπεσεν· ἵν᾽οὖν μὴ ἀτελὴς γένοιτο, ἀλλὰ διαπερανάμενοι οὕτως εἰσίοιμεν, στάντες ἐν τῷ προθύρῳ διελεγόμεθα, ἕως συνωμολογήσαμεν ἀλλήλοις· δοκεῖ οὖν μοι, ὁ θυρωρός, εὐνοῦχός τις, κατήκουεν ἡμῶν· κινδυνεύει δὲ διὰ τὸ πλῆθος τῶν σοφιστῶν ἄχθεσθαι τοῖς φοιτῶσιν εἰς τὴν οἰκίαν. Ἐπειδὴ γοῦν ἐκρούσαμεν τὴν θύραν, ἀνοίξας καὶ ἰδὼν ἡμᾶς, Ἔα, ἔφη, σοφισταί τινες· οὐ σχολὴ αὐτῷ.

(Plato, *Protag.*, ex recens. Beck, vol. I, part. 1, p. 159.)

1. Varro, III, 2.

cos instruendos, placuerit illi publica villa in campo Martio sita, qui locus est admodum tumultuosus et nequaquam agrestis? Eximia Platonis colloquia jam a nobis adhibita nonne præbebant sedem jucundiorem et aptiorem ad propositum? Non de re rustica aut pecuaria, de cytisis, columbis aut apibus Phædrus et Socrates sermonem habent; non aliud illis in animo est quam Lysiæ orationem legere. Juvat tamen Platonem eos gratissima deambulatione ducere circa fluvium Ilissum, et platanum altissimam, sub cujus umbra quiescant, ponere, et ventum modicum, et mollem herbam fingere, ubicumque sedere vel etiam recumbere velint [1]. Et ubi colloqui incipiunt, quanta sermonis suavitas, quam dulcis et grata loci adumbratio [2]!

Nec Ciceronis sermonibus deest agrestis illa jucunditas, quum disserens de legibus, inducit Quintum et Atticum « inter procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem

1. Prædrus im. Bekk. Transl. vol. I, part. 1, pag. 6.

2. Σω. Νὴ τὴν Ἥραν, καλή γε ἡ καταγωγή· ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη μάλ' ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή, τοῦ τε ἄγνου τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον, καὶ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης, ὡς ἂν εὐωδέστατον παρέχοι τὸν τόπον. Ἥ τε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος, ὥς τέ γε τῷ ποδὶ τεκμήρασθαι· νυμφῶν τέ τινων καὶ Ἀχελώου ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶν τε καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι. Εἰ δ'αὖ βούλει, τὸ εὔπνουν τοῦ τόπου ὡς ἀγαπητὸν καὶ σφόδρα ἡδύ· θερινόν τε καὶ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τεττίγων χορῷ. Πάντων δε κομψότατον τὸ τῆς πόας, ὅτι ἐν ἠρέμα προσάντει ἱκανὴ πέφυκε κατακλινέντι τὴν κεφαλὴν παγκάλως ἔχειν, ὥστε ἄριστά σοι ἐξενάγηται, ὦ φίλε Φαῖδρε. (Plat., *Phæd.* ex rec. Bekk. vol. I, part. 1, p. 9.)

Digitized by Google

residentes[1]. » Aut quum in iisdem colloquiis, ex hoc jucundissimo *Phædri* loco plurimum sententiæ trahit oblectandi causa materiæ gravitatem amœnitate locorum[2].

Apud Varronem autem frustra quæsiveris ad colloquii scenam hæc umbracula, hæc vireta, lætam insulam, ripas Ilissi aut Liris, platanum et populos. Magis illi placuit scenæ dialogi instruendæ locus alienus et sedes temere parata, quam ea quæ ipsa materiæ natura præbebatur. Inde nobis confirmatur hæc opinio, non fuisse cognatam Varronis proposito dialogi formam, quæ nihil ei suppeditavit, quum sermonum exempla veterum sententias tam venustas et ad rem idoneas suppeditarent. Hanc habuit veluti musicum aliquod organum, quod inter manus rudes et imperitas dubie et incondite sonat. Quare vero arripuerit hoc organum, cujus rudis paululum erat tractator, infra tentabimus explanare.

Nunc vero solvamus id quod est in quæstione :

1. Cicer., *De leg.*, I, v.

2. Quint. — Sed ventum in insulam est. Hac vero nihil est amœnius. Ita enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, et divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, et tantum complectitur quod satis sit modicæ palæstræ, loci. Quo effecto, tanquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim præcipitat in Lirem, et, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim ; quod in *Phædro* Platonis facit Socrates. (*De Leg.*, II, 3.)

Digitized by Google

ad utram dialogi formam, Platonisne an Ciceronis, sermones Varronis referendi sint?

Plane respondeamus, ad neutram, siquidem ea vidimus duo inter hæc præcipua genera incedentes aut titubantes, atque in medium vel potius ambiguum tramitem inducentes mixtum quoddam dialogi genus nec probabile, nec imitabile, quippe nimium abhorret ab hac præclara colloquendi ratione, ad gravitatem aut oblectamentum omnino comparata, quam summi oratores et philosophi commendaverunt.

Varronis colloquium, ut animadvertimus, plurimis in partibus fluctuat, vagatur, nil certi aut provisi habet. Fluctuat quidem sæpissime Plato, ludit, multa occultat, multa arbitrio obnoxia relinquit. Quis vero non ultro Platoni concedat hoc infinitum colloquendi vel fingendi spatium? Libere enim incedit et sese ad honesti, veri, pulchri, cœli demum contemplationem evehit. Varro autem omnino est affixus terræ, opere suscepto tantum ad utilitatem, *ad fructum*, ut ait. Quod autem ei placuerit dissertationem rusticam instituenti libero uti colloquendi arbitrio, inde hæc illi scenica actio fluctuans et vaga, eventus inopinati, inexplicabiles exitus, personæ dubiæ, ignotæ, vel etiam umbræ inanes. Scenicus aut divus est Plato quum colloquitur, at Varro tantummodo fortuitus.

Itaque hoc licet affirmare, scilicet Varroni de

Digitized by Google

Re Rustica dicturo, id est libros suscepturo plane utiles, plane didascalicos, hanc dialogi formam non fuisse eligendam.

Sua est unicuique scripti generi peculiaris forma, sicut unaquæque ætas proprias habet vestimentorum species, quas indiscreto usu transferre absurdum est, ut si sit senex prætextatus aut infans togatus. Item et de scriptis. Si velis fingere, ne sis technicus; si esse technicus, ne fingas. In hanc dialogi formam, multiformem aut sublimem, de qua jam plurima diximus, redigenda sunt sophistarum *destructiva* refutatio, tum bona malaque, deorum natura, fataque mortalium. Quid autem aptius, quid cum propositi dignitate magis conveniens?

Quid est autem quod tu, rustice scriptor, convoces actores, dialecticam instruas scenam, ut describas aratri speciem, piscinæ, aut ornithonis, ut dicas de olea, lacte, caseo, seminibus vel etiam de stercore etsterquilinio? Quod si inter hos sermones actor sim, dum inhians et sine ulla intermissione audiam te disserentem de jugeribus et agrestibus instrumentis, quid fiet de mea persona, de mea parte, etiam si mihi sit agreste cognomen Pica, aut Psittacus? Si docere vis, hoc age strenuus, neve per incertas colloquii ambages, certa gestias rerum agendarum præcepta infundere.

—At, dicet aliquis, colloquendo doctrinam suam

Digitized by Google

Varronem tradere quid vetabat? Qualis autem doctrina? Scilicet admodum levis, si non prorsus mendosa. Inde effluxerunt isti insulsi et nunc jacentes de historia, astronomia, mythologia, aut plantarum cultura sermones. Cum quibus non ii profecto conferendi sunt Varronis libri, qui quidem, ut non sint ubique perfecti, leporem tamen ingenuum quemdam præferunt, et venerandam illam antiquitatem in omni parte redolent, et quos demum immerito forsitan reprehenderemus, nisi in hoc genere colloquii sublimia et divina exempla antiquitas ipsa præberet.

VIII.

Res est autem gravior et multo plus ponderis habens, quæ nobis objici potest. Quid? rei rusticæ dialogi formam detrahis, ut quæ rei didascalicæ nequaquam sit consentanea; quid tamen censendum est de Xenophonte qui dicens de generis ejusdem materia, Administratione Domestica, et plurima etiam in hoc libro disserens de agricultura, colloquii formam adhibere non dubitaverit?

Non semper, ut apud omnes constat, res inter prorsus diversas, sed sæpius inter fere similes, fere cognatas, demum per viam analogiæ error enas-

Digitized by Google

citur. Hoc referatur ad Xenophontis et Varronis libros. De Administratione Domestica vel de *œconomia* dixit quidem Xenophon. Hæc vero scribendi materia non est adeo una et severa, ut in illa ludere non possit dialogus. Res est potius omnino fusa, diversa et mollis, et nequaquam discrepans ab illa venustate orationis « quam finxerunt gratiæ [1]. » Vide enim ut parnassia huc illuc apis volitet, nunc sedens super floribus, quos homines ad aras et ad simulacra deorum, atque etiam ad se ipsos ornandos adhibent [2]; nunc circa villam, aut circa viretum quod non tam rustice quam academice frondescit. Socrates et ipsius familiares, Critobulus et Isomachus sermonum de œconomia partes defendunt. Inde non est dubitandum quin philosophicum vel etiam poeticum potius quam didascalicum Xenophontis propositum fuerit.

Obiter tractavit agriculturam Xenophon, materiæ variandæ causa; quemadmodum apud Ciceronem Cato de senectute dicens ad voluptates agricolarum declinat [3]. Quis autem comparare

1. Quint., *Inst*. X, 1.

2. Πρῶτον μὲν γὰρ ἀφ' ὧν ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι, ταῦτα ἡ γῆ φέρει ἐργαζομένοις, καὶ ἀφ' ὧν τοίνυν ἡδυπαθοῦσι, προσεπιφέρει. Ἔπειτα δὲ ὅσα κοσμοῦσι βωμοὺς καὶ ἀγάλματα, καὶ οἷς αὐτοὶ κοσμοῦνται, καὶ ταῦτα μετὰ ἡδίστων ὀσμῶν καὶ θεαμάτων παρέχει· ἔπειτα δὲ ὄψα πολλὰ τὰ μὲν φύει, τὰ δὲ τρέφει· καὶ γὰρ ἡ προβατευτικὴ τέχνη συνῆπται τῇ γεωργίᾳ, ὥστε ἔχειν καὶ θεοῖς ἐξαρέσκεσθαι θύοντας, καὶ αὐτοὺς χρῆσθαι.

(Xenoph. *Œconom.*, V.)

3. *De Senect.*, XV et XVI.

Digitized by Google

velit Xenophontis agriculturam plane facilem et jucundam cum re rustica Varronis omnino ad præcipiendum instructa. Varro severus est et totus in arte agraria explananda, neglecto omni orationis cultu; Xenophon autem, vel quum præcipit, adeo ornatus et suavis est, ut, dicens de serendis seminibus, peritam esse oportere manum quæ semen spargit, subjiciat, « ὥσπερ τοῖς κιθαρισταῖς ἡ χείρ, ὅπως δύνηται ὑπηρετεῖν τῇ γνώμῃ. »

Uterque eorum aliquid dixit de feminis agrariis, et hinc omnino patet quantum inter se ingenio et materiæ genere discrepent. Varro sermonem agens de pastorum uxoribus, ait tantum: « Eas mulieres esse oportet firmas, non turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris [1]. »

Quam autem est delicatus Xenophon et a severitate talis præcepti abhorrens, quum inducit Ischomachum de uxore agricolæ dicentem, et narrantem ut ipse puellam, quam in connubiun duxerat, ad administrationem domesticam finxerit. « Καὶ τί ἂν ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐπισταμένην αὐτὴν παρέλαβον, ἣ ἔτη μὲν οὔπω πεντεκαίδεκα γεγονυῖα ἦλθε πρὸς ἐμὲ, τὸν δ' ἔμπροσθεν χρόνον ἔζη ὑπὸ πολλῆς ἐπιμελείας, ὅπως ὡς ἐλάχιστα μὲν ὄψοιτο, ἐλάχιστα δ' ἀκούσοιτο, ἐλάχιστα δ' ἔροιτο [2]; »

1. Varro, de R. R., II, x.
2. *Œconom.*, cap. VII.

Digitized by Google

Colloquium vere rusticum in œconomiam induxit hunc dulcem et ingenuum sermonem per quem agricola juveni conjugi quæ futura sint officia demonstrat. Gratiæ ipsæ finxerunt hanc comparationem mulieris agrariæ, quæ præest villæ, cum apum regina quæ præest favis [1].

Inde constat œconomiam vel agriculturam, de qua plurima dixit Xenophon, non ei fuisse rem technicam, quam docere vellet, qualis Varroni res rustica fuit, tantum ductilem materiam, thema uberrimum quod orationis elegantia et præceptis philosophiæ variaret. Tali autem proposito idoneus erat dialogus, et ipse Xenophon hoc discrimen inter res scenice et didascalice agendas declaravit, quum de Re Equestri, de Re Venatica disseruit. In his enim colloqui noluit, ut qui præciperet et per se ipsum sermonem haberet. In œconomia voluit imprimis philosophari, et rectissime colloquium elegit. Ita apud eum suas habuere partes plane discretas, præcepta et dialogus, et inde orta sunt in utroque genere hæc eximia opera, in quibus materia et sententiæ tam perfecte consonant.

1. Δοκεῖ δέ μοι, ἔφην, καὶ ἡ τῶν μελισσῶν ἡγεμὼν τοιαῦτα ἔργα ὑπὸ τοῦ θεοῦ προστεταγμένα διαπονεῖσθαι. Καὶ ποῖα δ' ἔφη ἐκείνη, ἔργα ἔχουσα ἡ τῶν μελισσῶν ἡγεμὼν ἐξομοιοῦται τοῖς ἔργοις οἷς ἐμὲ δεῖ πράττειν; Ὅτι, ἔφην ἐγὼ, ἐκείνη τε ἐν τῷ σμήνει μένουσα οὐκ ἐᾷ ἀργοὺς τὰς μελίσσας εἶναι, ἀλλ' ἃς μὲν δεῖ ἔξω ἐργάζεσθαι ἐκπέμπει ἐπὶ τὸ ἔργον, καὶ ἃ ἂν αὐτῶν ἑκάστη εἰσφέρῃ οἶδέ τε καὶ δέχεται, καὶ σώζει ταῦτα ἔστ' ἂν δέῃ χρῆσθαι.

(*OEconom.*, cap. VII.)

Digitized by Google

VIII.

Adeo non igitur opinionem nostram labefactat Xenophontis liber de Œconomia, ut confirmet potius et omnino illustret discrepantiam eam, quam supra notavimus. Inde excipimus novum argumentum ad assertionem jam adhibitam: Forma videlicet dialogi non decebat in libris *de Re rustica,* huic et scriptoris propositum, et ipsa materiæ ratio repugnabant.

At si nobis illud concedatur, liceat etiam servare incolumen et prorsus laudabilem partem librorum Varronis, quam methodicam diximus et certe multi habendam pretii, non tantum ad agriculturam et instituta Romanorum sed etiam ad litteras. Ubi enim materiam aggreditur, et, ut ita dicamus, propriis armis instructus prodit Varro, tum fit egregius scriptor, et inter plurima vetustatis signa non habet tamen, ut dicamus cum Quintiliano: « Veterem illum horrorem dicendi Catonis. » Non negligit admodum adhibere quamdam venustatem agrestem cujus plurimi librorum ejus loci nobis exempla præbuerunt. Brevis est Varronis sermo, densus, sententiis pressis sæpius inclusus et ob eam ipsam causam subobscurus; periodi ambages, cultum translationum fastidit aut ignorat;

Digitized by Google

non placere vult, placet tamen, et ipsa severitate quasi suasoria animos sibi legentium conciliat.

Jure etiam miremur hunc incessum gravem et rectum scriptoris per libros *de Re rustica*. Quis neget omnem Romanorum agriculturam in his fuisse expositam, elucidatam, ut suum quæque ordinem habeant, nihil fuerit omissum, nullum præceptum vel humile, vel abjectum? At Varro rem nullam recusat per ambitiosum illud scriptoris fastidium; omnia dicit, omnia demonstrat, continuo intentus ad propositum, nimirum *utilitatem agricolæ*, et ita arguit optimam ingenii naturam, firmumque judicium, quod, dummodo doceat, nihil a se censet alienum.

Verum enim cujus esse pretii dixerimus Varronis libros diverse a nobis examinatos, et partim videlicet reprehensos, partim autem laudatos? Quem ordinem inter veterum litterarum monumenta obtinere debeant? Hinc concludemus; hinc enim, ut procemiando diximus, profecti, occasionem libelli hujus cepimus. Qui fit ut libri Varronis, tantam inter eruditorum impensam critice nondum fuerint attrectati? De hac quæstione quidquid esse possit, nos instituimus hanc lacunam explere; ut vero, si liceat, contingamus tale propositum, libros ipsos ne deseramus.

Jam, ut supra diximus, provectus annis erat Varro, quum de Re Rustica scribebat. Redeat nunc

Digitized by Google

ipsius sententia, « annus octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam antequam proficiscar e vita[1]. » Senectus igitur in opus exigendum irrepere potuit, in quam vero partem? Haud ita certe in partem didascalicam, in qua res ipsa rustica eximie tractatur. Hic enim omnis viget Varro, nihil prorsus in rebus demonstrandis, senilem illam loquacitatem refert. Contra densissimus fit disserenti sermo, et, ut diximus, rerum compressione brevis, et interdum usque ad asperitatem virilis. Haud vero adfirmaverimus non consenuisse jam Varronis nostri ingenium in hac altera librorum parte, in hac specie videlicet dialogi, quam vagam et cum materia dissonantem reprehendimus. Cur autem una pars librorum virilis quasi vigeat, altera autem senilis dormitet, indoles Varronis et vitæ ratio forsitan indicant.

Concedatur nobis hæc opinio conjecturalis quidem, sed forte non admodum indigna cui condonetur, quippe hic agitur de libris qui in manibus omnium non admodum versantur, et quibus etiam conjectura defuit. Conjicimus igitur libros de Re Rustica non fuisse susceptos et confectos eadem ætate vitæ scriptoris, Varronem agricolam studiosum et divitem, ut ipse fatetur[2], non expectasse

1. Varro, I, 1.

2. Ipse pecuarias habui grandes, in Appulia oviarias, et in Reatino equarias. (Varro, de R. R., II, præf.)

Digitized by Google

octogintesimum annum, ut inter tot libros susceptos, tot materias vicissim tractatas scriberet aliquid de re rustica, quæ fuit certe res ipsius studii vel otii. Hæc præcepta e quibus pendet illa pars, quam didascalicam et virilem diximus, dudum collegerat, sed non in lucem ediderat, et servaverat veluti codicem rusticum ad propriam utilitatem.

Quum vero senectutem ingravescentem sensisset, ne perirent hæc præcepta, instituit ea in unum opùs componere, non solum ad conjugis Fundaniæ utilitatem, sed et aliorum. Tunc autem undique florebant litteræ latinæ, quippe Varro publicavit libros de Re Rustica anno U. C. DCCXVII.[1] Jam obierat Cicero, jam Virgilius confecerat eclogas[2], splendide inchoabat ætas Augusti, et in hoc litterarum splendore non erat locus jejunæ eruditioni atque ab omni nitore orationis alienæ. Itaque post Ciceronis majestatem, Varro noluit libros de Re Rustica incultos et quasi nudos in lucem edere. Inde ad litteras confugit et rusticis libris, quos ad methodicam formam susceperat, adjecit octogenarius auctor speciem dialogi, actores et præfationes, in quibus confitetur ipse senectutem, quasi opus

1. Scripsit enim hos libros Varro, natus annos octoginta, id est, si respicimus annum in quo natus est, paulo minus DCCXVII° ab U. C. (Schneider. Comment. in Varr., III, 1.)

2. Exstant ejus Bucolica sive Eclogæ decem scriptæ inter an. U. C. DCCXIII. (Fabricii Biblioth. latina J. A. Ernesti, vol. I, p. 307.)

Digitized by Google

excusaturus; hanc partem demum absolvit, quam *senilem* diximus.

Varro dialogum, inclinante jam ætate, ut Cato litteras græcas, didicit : dedicit quidem, non enim censemus hanc dialogi formam ab eo fuisse adhibitam in aliis libris de annalibus et jure, quorum titulos Fabricius in Bibliotheca latina servavit. Defessum igitur ac simul senile erat Varronis ingenium, quum instituebat hanc partem scenicam, quæ non satis consentanea materiæ nobis visa est. Hic facile agnoscitur forma dialogi græci, qualem primi latini scriptores adumbrare potuerunt. Videlicet informes et serviles imitatores, non tam Græcorum ipsum ingenium in se contulere, quam scriptorum habitum et, ut ita dicam, amictum induerunt. Talis est Varro quum colloquitur : græci colloquii formam usurpat, mutuatam forsan a quodam mediocri scriptore. *Græcatur* certe, ut declarant plures loci librorum de Re Rustica, et inter alios hæc comparatio quam rejicimus in notulas, ne conclusionem moremur[1]. Inde ratio iniri potest, cur Varro vir summæ gravitatis et doctrinæ scripserit pluribus annis post Tusculanas aut Academicas

1. Certe, inquit Fundanius, aliud pastio et aliud agricultura, sed affinis et, ut dextera tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodam modo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva altera succentiva. Et quidem licet adjicias, inquam, pastorum, vitam esse incentivam, agricolarum succentivam, auctore, doctissimo homine Dicæar-

Digitized by Google

illas disputationes, dubii generis opus et quadam ex parte claudicans, quodque ad Ennii et Catonis potius quam ad Ciceronis ætatem pertinere haud immerito quis dixerit.

Hanc formam dialogi suscepit aut ad se revocavit quæ vigebat quum Menippeas fingeret, opera certe juvenilia[1]. Græculam formam, plautinos sales nondum omnino excussos admisit; octogenarie colloquens garriit more senum in quos infantia recurrit. Inde inducimur ut ad ætatis diversa tempora referamus partes librorum diversas. Parum enim verisimile nobis visum est eumdem virum in eodem opere fuisse simul et menippeum et aristotelicum. Hic suspicantes aliquid de vicibus ætatis ex diversitate formæ, hanc divisionem ausi sumus, quam tamen iterum profitemur nos tantum pro conjectura adhibere. Viderint doctiores quid de hoc judicandum, et utrum illam examinare, an omnino rejicere oporteat.

Si tamen concedatur nobis de Varrone ipso ultima sententia, censemus, ut in opere quasi duo

cho, qui Græciæ vita qualis fuerit ab initio, nobis ostendit, ut superioribus temporibus fuisse doceat, cum homines pastoriciam vitam agerent, neque scirent etiam arare terram, aut serere arbores, aut putare; ab his inferiore gradu ætatis susceptam agriculturam.

(Varro, de R. R., I, 2.)

1. Et tamen in *illis veteribus nostris*, quæ Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice. (*Academ.* II, 1.)

Digitized by Google

opera, ita et in scriptore duos extitisse viros. Vir antiquus et recens simul fuit Varro, antiquus pro studiis, pro indole, pro gravitate eruditionis in qua tot annos delituit. In pluribus locis librorum de Re Rustica reprehendit sumptuosas villas, artes, tabulas et signa, culta hæc omnia et exquisita, quæ Cicero vir plane novus diligebat[1]. Mores antiquos ad cœlum effert Varro, vir in cæsarea illa et ciceroniana urbe vere Sabinus aut Etruscus, durus agricola, durus scriptor, et qui non solum veterem agriculturam, sed et Romam ipsam veterem desideraret. Verumtamen etsi mores antiquos Varro servaverit, vir novus dici debet, quippe fuit ex familiaribus Ciceronis, conjuncte vixit cum iis omnibus quibus Cæsaris ætas inclaruit, per quos doctrina, eloquium et artes florebant; ætatem Augusti demum salutavit.

Ex hac peculiari conditione vitæ Varronis libri de Re Rustica præcipue in pretio habendi sunt.

1. Hermæ tui pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti jam nunc me admodum delectant. Quare velim, et eos, et signa, et cætera, quæ tibi ejus loci, et nostri studii, et tuæ elegantiæ esse videbuntur, quam plurima, quam primumque mittas, et maxime, quæ tibi gymnasii xystici que videbuntur esse.

(Cicer., *Epist. ad Attic.*, I, 5 ; ed. J. V. Le Clerc, in-12, vol. XXI.)

Signa nostra et hermeraclas, ut scribis, quum commodissime poteris velim imponas, et si quod aliud est οἰκεῖον ejus loci, quem non ignoras reperies, et maxime, quæ tibi palæstræ gymnasiique videbuntur esse.

(*Epist. ad Attic.*, I, 10.)

Digitized by Google

Ut enim scriptoris vita, sic illi potius ad præteritum tempus, quam ad præsens, spectant. Etiamsi in limine Augusti sæculi fuerint aut suscepti aut confecti, sunt tamen multo antiquiores omnibus ejusdem sæculi scriptis. In his inchoat adhuc latinus sermo, periodus primos circuitus tentat, novarum sententiarum lepos cum sermonis vetustate luctatur. Quid autem utilius quam deprehendere hanc adolescentiam romanæ orationis adhuc rudis neque admodum inelegantis, hic incultæ, illic simpliciter ornatæ, ut summa manus in ea excolenda temporibus magis, quam ipsi defuisse videatur? Itaque Varronis libri quasi confinium aliquod habeantur veterem inter linguam Ennii et Catonis, et novum illum sermonem, quem præcipue Cicero et Virgilius commendant. Inde non solummodo ad agriculturam et antiquitatem romanam pertinent, sed et ad historiam litterarum, et id satis est illis, ut nunquam obsolescant.

At nos quoniam propositum habuimus, ordinem eis assignare, ne collocemus eos inter divina illa Platonis et Ciceronis opera; ne conferantur etiam cum historia Aristotelis, qui de animalibus adeo graviter et pure dixit. Habeant ordinem quasi medium, inter primarios auctores, et eos quos secundaria sedes decet. Non admodum classici, operis absolutione, classici tamen antiquitate: ita vigent apud nos Amyotus et Montanius, qui prima et

Digitized by Google

gratissima lineamenta orationis gallicæ nobis referunt. Itaque si non assidua manu Varronis libros *de Re Rustica* versamus, ne tamen eos omnino negligamus, et, ut ait Quintilianus : « Sicut sacros vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantum habent speciem, quantum religionem. »

Nunc quæ sunt hac in dissertatione sparsa, paucis verbis comprehendamus.

I. Summam per expositionem primo demonstravimus non tantum ad rem rusticam, sed etiam ad litteras Varronis libros pertinere.

II. Expositione exacta duas partes in opere notavimus inter se diversas, unam, quam *methodicam* diximus, alteram *scenicam* : probare tentavimus dialogi formam non fuisse adhibendam in opere plane didascalico quales sunt libri de Re Rustica.

III. Hæc nos induxit divisio ad conjiciendum Varronis libros non eodem omnes tempore vitæ scriptos fuisse; technicam partem ad scriptoris virilitatem, scenicam autem ad senectutem retulimus.

Digitized by Google

IV. Collegimus ex his, Varronis opus fere nullo pacto pertinere ad Augusti ætatem, cujus tamen limen attigerit. Libri de Re Rustica, quamvis scripti sint post Ciceronis obitum, Ciceronis tamen veluti præludia habendi sunt. Denique metam quamdam signant inter vetus litterarum sæculum et auream illam ætatem, in qua eloquentia romana omnibus perfectionis numeris absoluta floruit.

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. x kal. jul. ann. MDCCCXLIII.

Facultatis Litterarum in Academia parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

ROUSSELLE,

Studiorum Inspector,

procurandis Academiæ parisiensis rebus præpositus.

Has theses tueri ac dilucidare conabitur ad doctoris gradum promovendus A. Fremy in facultate litterarum jam licenciatus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google